



A. VITELLIVS Vitellium & Sextiliam parentes
 habuit, natus, ut uolunt, VIII. Kal. Octobris, Druso Cæ-
 sare & Norbano Flacco Conß. Primã egit adulescentiã in-
 ter Tiberiana scorta, quare ppetuo Spintrie cognomine no-
 tatus, sequentẽ etatem omnibus probris contaminauit, hie
 præcipuũ in aula locũ tenuit apd C. Claudium, Neronẽq;
 Cæsares, a quibus non solum honoribus, sed & sacerdotijs
 auctus, A Galba in Germaniam missus inferiorem, factioẽ
 militari impium arripuit, quod uix octimestre obtinuit, et
 arbitrio uilissimi cuiusq; hystriõnis administrauit. Othone
 interfecto, campos, in qbus pugnatum est adiit, tabemq; ca-
 dauerũ detestabili uoce confirmauit. Optime olere occisum
 hostem et melius Ciuem, Ad cædem igitur cuiusq; quacũq;
 de causa, pronus, tandem Vespasiano a militibus Imperato-
 re declarato, concordia ambiebat, qua frustra tentata, e la-
 tebra extractus, ligatis post terga manibus, iniecto ceruici-
 bus laqueo, in forum tractus, mucrone sub mentum posito
 ut uisendam præberet faciẽ, stercore iactatus & minutissi-
 mis ictibus excarnificatus, uncoq; in Tyberim tractus. an-
 no hie LVII.